

quirend. possess. Verum licet hæc sententia, seu distinctio, videatur communior inter doctores: quia tamen non ex multitudine auctorum judicandum est, l. I, § Sed neque. C. de Veteri jure enucleand. sed potius ex soliditate fundamentorum, ac jurium allegatorum: hinc.

44. *Istud probatur multipliciter.* — Probatur conclusio. Quia sequestratio rei de partium consensu potest fieri et causa custodiae, et animo amittendi possessionem, l. Interesse puto. ff. de Acquirend. possess.; ergo in dubio, ac nisi aliud expressum fuerit, censetur facta solummodo custodiae causa. Probatur consequentia, tum quia non est verisimile, quod quis velit amittere commodum possessionis, nisi id exprimat, cit. l. Interesse puto. ubi tum demum possessio rei sequestratae amitti censetur, quando « apud sequestrum res deponitur dimittendae possessionis causa, et hoc aperte fuerit approbatum » tum quia praesumitur quis facile res suas jactare, et indebitas effundere, l. Cum de indebito. vers. Qui enim solvit. ff. de Probat. Glossa in c. Quia verisimile. §. Concesserit. de Præsumption. Mascardus, concl. 553, n. 1 et 2, de Probation. ergo nec abjicere possessionem, ejusque commoda, nisi exprimat; tum tandem, quia nisi aliud exprimat, procedit textus in l. Proprie. ff. Depositi. ibi: « Proprie in sequestro est depositum, quod a pluribus in solidum certa conditione custodiendum, reddendumque traditur. » Ubi sermonem esse de sequestratione voluntaria, convincunt verba illa, « quod a pluribus custodiendum traditur: » simulque in his ipsis bene ponderandum est ly, « custodiendum; » nam hinc sequitur potius censerem rem ejusmodi esse traditam causa solius custodiae, et non animo transferendi possessionem. Idipsum desumitur ex c. Examinata. 15 de Judiciis, juncta Glossa §. Possidebas, ubi quis legitur possedisse Ecclesiam, haud obstante, quod eam alius tanquam sequestratam accepisset.

45. *Istud probatur multipliciter.* — Confirmatur et probatur conclusio a simili: quia pignus conventionale, quamvis detur in favorem creditoris ac pro ejus securitate, non transfert veram possessionem a debitore in creditorem, l. Qui pignoris. ff. de Acquirend. possess. ergo multo miras eam transfert sequestratio voluntaria, seu conventionalis, nisi aliud exprimat. Hic enim deponitur res apud tertium, qui est nudus minister ad

commodum alterius, absque ullo respectu ad proprium favorem; qualis tamen in pignore attenditur.

46. *Sed limitatur, quando apud sequestrum deposita est possessio rei.* — Dices: In l. Licet. ff. Depositi, sic habetur expressum: « Rei depositæ proprietatem apud deponentem manet, sed et possessio: nisi apud sequestrum deposita est; nam tunc demum sequestrer possidet; » ergo revera in sequestratione voluntaria transfertur possessio. Ad hoc principale fundamentum contrariae sententiae respondetur, neg. consequentiam, sub datis in conclusione limitationibus: nam lex allegata procedit in casu, quo « apud sequestrum deposita est possessio, » prout sonant verba ejusdem. Hunc autem casum data conclusio nostra expresse excipit: quia ultro in ea conceditur, quod propter incertitudinem possessionis: quolibet se possidere contendente, si fiat voluntaria ejus sequestratio in tertium, neque aliud exprimat, censeatur (jure sic interpretante), de communi partium consensu translata possessio rei in sequestrum, et is usque ad terminationem litis possidere permittatur; ita tamen, ut postea rem illam victori in causa reddere teneatur.

47. *Et quoties in sequestratione voluntaria expressum fuit, ut transeat possessio in sequestrum.* — Atque hoc ipsum procedit, utroque fatetur conclusio, quoties in sequestratione voluntaria expressum fuit, ut transeat possessio in sequestrum; sicque neutro litigantium exinde aliquod commodum, ut puta jus usucapiendi, seu praescribendi, vel hujusmodi obveniat. Quia enim quilibet potest renuntiare juri suo, etiam certo, c. Si diligenti. 12 de Foro compet. quanto magis poterunt ambæ partes mutuo consensu renuntiare jure incerto possessionis, commodorum ejus, si quod in re controversa haberent? Hinc tamen sequitur, quod semper per sequestrationem voluntariam transferatur possessio in sequestrum, etiam ubi constat de possessione et ad quem hæc pertineat; et solum contrahitur super proprietate rei, simulque illud expressum non fuit: in quo casu loquitur data conclusio, quæ sic explicata forsitan nec a doctoribus in contrarium allegatis negatur, cum solum videantur loqui in casu cit. l. Licet. ff. Depositi. utpote quam pro se solent allegare. (ADNOTATIO XLVII.)

ITULUS XVIII.

De Confessis.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Postquam pluribus præcedentibus titulis actum est de iis, quæ pertinent ad formam, et modum ordinandi iudicii: pergunt compilatores agere de modis, quibus causa instruitur; et sic tractat nunc de meritis causæ, seu de probationibus in genere, et specie. Præmittitur autem præsens titulus de Confessis: siquidem per propriam adversæ partis confessionem relevatur litigans ab onere probandi, prout amplius patebit ex dicendis. Hinc sit

DE NATURA, ET DIVISIONE CONFESSIONIS, EJUSQUE REQUISITIS.

2. *Hinc non est sermo de confessione generalissime sumpta.* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit confessio? Ubi prænotandum, quod impræsentiarum sermo non sit de confessione generalissime sumpta, et prout sub se complectitur suam confessionem laudis, qua fatemur divinas perfectiones, Deumque laudamus, quam confessionem priorum peccatorum; in quo sensu divus Augustinus, serm. 8. de Verbis Domini loquitur dicens: « Confitemur ergo sive laudantes Deum, sive accusantes nosmetipsos. Pia est utraque confessio, sive cum te reprehendis, qui non es sine peccato; sive cum illum laudas, qui non potest habere peccatum. » Igitur in proposito dumtaxat sermo est de confessione, prout hæc deservit pro decisione causarum in iudiciis agitarum. Quo prænotato,

3. *Confessio, quantum ad propositum, quid?* — Resp. I. Confessio, quantum ad propositum, est ejus, quod ab adversario intenditur, in iudicio, vel extra illud facta asseveratio. Ita in re communis. Ubi ly « asseveratio » est genus, et reliqua habent rationem differentiae. Additur vero « in iudicio vel extra illud: » quia duplex est hujusmodi confessio, una judicialis, et altera extrajudicialis: quod ut melius intelligatur.

4. *Confessio judicialis, quæ?* — Resp. II. Confessio judicialis dicitur ea, quæ fit in iudicio: sive, est certa et clara asseveratio ejus, quod ab adversario intenditur, facta in iure coram legitimo iudice. Ita Antonius Nebrissensis in Vocabulario juris, §. Confessio. Dicitur

in iure: hoc est, in loco, ubi jus redditur; seu, in iudicio coram competenti iudice pro tribunali sedente: sive dein lis fuerit contestata, sive non, juxta dicta superius tit. I. § 1, n. 24.

5. *Potest in iure tripliciter fieri.* — Atque talis confessio in iure, potest fieri tripliciter; prout notat Glossa in c. Nullus dubitat. §. Confitetur, et Abbas ibid. n. 2. de Præsumpt. Primo, ore: ut dum qui ore tenus, seu verbis, confitetur intentionem adversarii: quo etiam spectat confessio in scriptis facta, can. Si quandoque. 16. q. 1. Secundo, rei evidentia, quæ tergiversatione aliqua celari non potest, cap. ult. de Cohabitat. cleric. et can. Priusquam. dist. 28. Tertio, interpretative: ut si quis legitime citatus contumaciter se absentet, cit. c. Nullus dubitat. de Præsumpt. et can. Deducimus. 3. q. 9. Aut, si reus petitus iuramentum præstare recuset, cap. ult. § fin. de Jurament. calum. et hujusmodi.

6. *Facta coram iudice non legitimo, an teneat?* — Dicitur ulterius in data confessionis judicialis definitione, « coram legitimo iudice. » Nam, ut in c. At si clerici, 4. de Judiciis, loquitur Pontifex: « Sicut sententia non suo iudice lata non tenet, ita nec facta confessio coram ipso: » ac proinde ipsa non erit judicialis. Quanquam extrajudicialis confessio censerem potest, et habeat nonnullos effectus, supra tit. I. De iudiciis, § 4. n. 89. jam explicatos.

7. *Utrum debeat fieri coram iudice pro tribunali sedente?* — Et additur « pro tribunali sedente, » etc. Quia non censetur confessio facta in iure, sive iudicio, quando fit in presentia iudicis quomodocumque: sed oportet, quod is sedeat pro tribunali, arg. l. Jus pluribus. ff. de Justit. et jur. et can. Deus omnipotens. §. Quando autem. 2. q. 1. juncta Glossa §. Iudicis; ac notat Abbas in cit. c. At si clerici. n. 6. de Iudic. Qui tamen, una cum aliis proxime allegatis doctoribus, notanter subjungit istud intelligendum esse « in causis requirentibus plenam discussionem, » sive plenam probationem: nam quando non requiritur plena causæ cognitio, sed sufficit semiplena ejus discussio, ac probatio; tunc etiam dicitur confessio fieri in iure, quando ea fit coram iudice, licet is pro tribunali non sedeat, sed stet, aut deambulet in loco iudicii, juxta textum notabilem in l. Vult. ff. de Interrogator. actionib. juncta Glossa §. In itinere Summario, et Bartolo ibid. et Abbas cit. n. 6. Concordat Glossa in l. un. c. h. t. et Gonzaler

Tellez in cap. i. n. 4. eod. ubi rejecta contraria sententia docet, ly « confessum in jure, » intelligendum esse pro ly « confessum in quovis loco, ubi iudex adfuerit iudicandi causa de eo, » de quo fit confessio, sive domi, sive in itinere. Facit ad istud Clem. *Sæpe contingit*. § fin. *de Verb. signif.* ubi dicitur iudicem in causis summarie, ac de plano tractandis, posse procedere, sententiamque ferre non solum sedendo pro tribunali, sed etiam « (prout magis sibi placuerit) » stando: nec tamen ulla negavit in hisce causis dari confessionem judicialem.

8. *Confessio extrajudicialis, quæ?* — Resp. III. Confessio extrajudicialis econtra est: quæ apud probos et fide dignos homines fit extra iudicium. Qualis etiam censetur ea, quæ fit coram iudice incompetente, juxta dicta n. 6. Item et illa, quæ fit coram notario, etiamsi fiat altera parte præsentate, si non adsit iudex pro tribunali sedens. Abbas in c. *At si clerici*. n. 6. *de Judiciis*; Mascardus *de Probationibus*, concl. 344. n. 7; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*, tit. *de Confessione*, n. 30. qui istud intelligunt in causis plenariam discussionem requirentibus, contormiter dictis n. præced.; Barbosa in c. *Ex parte*. n. 8. h. t. citans plurimos alios.

9. *Facta coram notario an censeatur judicialis?* — Notat tamen Pirhing h. t. num. 2. post Hiltropium in *Processu judiciario*, part. III. tit. XVII. *de Confessis*, n. 5. quod de facto ex recepta consuetudine confessio apud protocollum coram notario recepta, censeatur judicialis: siquidem plerique actus legitimi, qui in iudicio coram iudice expediuntur, etiam coram notario hodie expediuntur, et eandem vim habent. Hinc in simili Bartolus L. un. § *Tertio nota*. C. *de Confessis*, meminit crjuspian statuti, vi cuius confessio facta coram notario, videtur facta coram iudice. Igitur præmissa Abbatis, et aliorum opinio, defacto intelligi debet de simplici tabellario, non fruente privilegiis publicorum notariorum.

10. *Confessio facta coram arbitratore est extrajudicialis.* — Insuper confessio extrajudicialis censetur ea, quæ fit coram arbitratore: ut tradit Alexander, consil. 13. n. 7. vol. 1. Maranta; loc. cit. n. 31.; Mascardus, cit. concl. 344. n. 9. et alii. Siquidem coram arbitratore non est iudicium, arg. Auth. *Ut differentes iudices*. et juncta Glossa. § *Conventum*; Bartolo, et doctoribus ibid. collat. 9. et Innocentio in c. *Quintavallis*. *de Jurejurand.*

11. *Secus, si fiat coram arbitro.* — Secus est in confessione facta coram arbitro. Nam quia hodie arbitraria sunt redacta ad similitudinem iudiciorum, l. ff. *de Receptis arbitris*: baud immerito confessio coram arbitro facta censetur judicialis, quando ipse processit juris ordine servato; Bartolus, l. un. in fin. c. *de Confessis*; Mascardus, loc. cit. n. 10; Maranta, cit. n. 31; Pirhing h. t. n. 2. et alii ab his citati; quamvis nonnulli contradixerint. Idque ulterius probatur ex c. *Præsentata*. 50. juncto summario, et doctoribus *de Testib.* Ubi attestations receptæ per arbitrum fidem faciunt in iudicio, quando testes mortui sunt: si autem vivunt, est in optione illius, contra quem testes producti fuerunt, an velit attestations illorum recipere, vel has respuendo consentire, ut iidem testes amittantur iterum ad testificandum. Idipsum expresse habetur decisum in l. ult. c. *de Testib.*

12. *Confessio, an sit species probationis? Et rationes affirmativam tenendi.* — Quæritur II. Utrum confessio sit species probationis? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi, desumitur imprimis ex illo vulgato axioma: « Propria confessio est optima probatio. » Nam nulla est major probatio, quam proprii oris confessio; ut inquit Maranta cit. tit. *de Confessione*, n. 21. Imo dicitur plenissima probatio; ut notat Petr. Philip. Corneus, consil. 261. vol. IV. Unde, quod confessio numeretur inter genera probationum, notat Glossa in l. I. § *Quemadmodum*. c. *de Edendo*; Maranta, loc. cit. n. 1. Eamque proprie esse probationem, censet Aretinus in rubr. infra *de Probat.* et Salicetus in rubr. c. *de Probat.* quos pro hac sententia citat Jason in l. *Cum te transegiisse*, n. 11. *de Transact.* Accedit textus in cap. i. h. t. in 6. ubi dicitur, quod positiones negativæ « probari non possunt, nisi per confessionem adversarii: » et sic dictio, *Nisi*, stat exceptivæ. Atqui exceptio debet esse de regula, seu debet contineri sub generalitate verborum in regula expressorum: ut puta, si regula est de homine, et non de bove vel asino, aut alia specie animalium; Dynus, ad rubric. *de Reg. jur.* in 6. n. 15; Bartolus, in l. *Si eum*. § *Qui injuriarum*. ff. *Si qui cautionibus*, et alii. Ergo et confessio debet esse de genere probationum; alioquin frustra in cit. cap. h. t. in 6. exciperetur. His tamen non obstantibus,

13. *Proprie non est probatio, sed probationis relevatio.* — Resp. Confessio proprie non est probatio, sed probationis relevatio. Ita Glossa,

et Abbas ad rubric. h. t. et idem Abbas ad rubric. tit. *de Probation.* n. 3; Archidiaconus, can. *Accusator*. 6. q. 5. n. 2; Jason, loc. cit. n. 9. et seqq. hanc appellans communem sententiam. Antonius Burgos in repetit. c. *At si clerici*. n. 11. et seqq. *de Judiciis*, et alii. Fundamentum hujus conclusionis desumitur imprimis ex definitione utriusque. Nam, quando volumus ostendere proprietatem rerum, confugimus ad earum definitionem: atqui alia est definitio confessionis, alia probationis: hæc enim est rei controversæ per legitima argumenta facta ostensio. Confessio autem est ejus, quod ab adversario intenditur, in vel extra iudicium, facta asseveratio: ergo. Accedit textus c. *Cum causa*. 5. *de Raptorib.* ubi clare distinguitur inter probationes, et confessionem, tanquam inter diversa, illis verbis: « Si vel ex probationibus, vel ex mulieris confessione claruerit: » et consequenter confessio inter probationes proprie non connumeratur. Unde et diversæ rubricæ de his in jure extant. Nec immerito prius in specie agitur de confessione, quam in genere de probationibus: tum quia confessio potius est relevatio probationis, quam vera probatio: tum alioquin illam sub probationibus, velut speciem sub genere, contineri videatur.

14. *Referuntur casus, in quibus non admittitur probatio, bene tamen confessio.* — Accedit, quod post conclusionem in causa non admittatur probatio aliqua, c. *Cum dilectus*. 9. *de Fide instrument.* bene tamen confessio partis, c. *Cum Joannes*. 10. § *Porro eod.* Insuper contra præsumptionem juris et de jure, non admittitur probatio in contrarium, c. *Is qui fidem*. 30. juncta Glossa ibid. § *Contra præsumptionem*. *de Sponsalib.* bene tamen contra eam admittitur confessio partis, pro qua erat præsumptio. Felinus in c. *Quoniam contra*. n. 30. *de Probation.* post Glossam in l. *In contractibus*. § *Nulla modo*. c. *De non numerat. pecun.* et alios. Unde consequens est, quod confessio proprie non sit probatio, sed potius relevatio probationis: adeoque quod in statuto faciente mentionem de probationibus, in materia odiosa non comprehendatur confessio. Abbas ad rubric. tit. *de Probationibus*. n. 3; Jason ubi supra n. 9.

15. *Solvuntur rationes sententiæ affirmativæ.* — Ad rationes dubitandi n. 12 allatas dici potest confessionem imprimis merito appellari optimam probationem, cum sit ulterio- ris probationis, cæteroquin per actorem faciendæ, relevatio. Qua ratione etiam confessio

judicialis recte vocatur « plenissima probatio, » utpote postquam alia probatione opus non est; eo, quod confessi in jure, pro iudicatis habeantur, l. I. ff. *de Confessis*, cum similibus. Ad Glossam in l. I. c. *de Edendo*, respondetur per idem: quin et tum ipsi Glossæ, tum auctoribus in contrarium stantibus, opponitur alia Glossa una cum auctoribus pro conclusione n. 13 jam allegatis.

15. *Solvuntur rationes sententiæ affirmativæ.* — Ad cap. i. h. t. in 6. respondetur cum Jasone in cit. l. *Cura te transegiisse*. n. 9 et 10. c. *de Transact.* per illud inter alia probari conclusionem nostram. Ibi siquidem aperte dicitur, « quod positiones negativæ (quæ probari non possunt, nisi per confessionem adversarii) iudices admittere possint; » sicque confiteri per partes, etsi non probari: ergo hoc ipso confessio, non est proprie probatio. Nec urget dictio *Nisi*, qui videtur esse exceptiva. Nam, quia in multis confessio assimilatur probationi, imo est melior ista, et ipsius probationis relevatio: non frustra pontifex apposuit ly, « Nisi per, » etc. Accedit, quod aliquando dictio *Nisi* non capiatur exceptivæ, sed determinativæ, arg. c. *Abbate sane*. § *Secus autem*. *de Sentent. et re judicat.* et c. *Consultationibus*. 10. in fin. *de Offic. delegat.* et notat Anton. Burgos ubi supra, n. 15. post Jo. Andream, et Dominicum in cit. c. *Abbate sane*. Atque hac ratione, seu determinativæ solum, capiendo ly *Nisi*, corrumpit totum fundamentum contrariæ sententiæ, ex cap. i. h. t. in 6. desumptum.

17. *Dictio Nisi aliquando non capitur exceptivæ, sed determinativæ.* — Quæritur III. Quænam requirantur ad validam confessionem præsertim judicialem? Resp. Plures ad hanc requiruntur conditiones; adeo, ut Glossa in cap. ult. § *Confessus* et Abbas ibid. a n. 6. usque ad n. 16. h. t. decem earum enumeret, quas dicta Glossa melioris memoriæ gratia sequentibus versiculis comprehendit.

Major, sponte, sciens, contra se ubi jus fit, et iustis. Certum, lisque: favor, jus nec natura repugnet.

His nonnulli quasdam alias superaddunt conditiones; prout videre est apud Hostiensem in Summa, h. t. n. 1. Joseph. Mascardum *de Probationibus*, a concl. 344, usque ad concl. 392. fusissime materiam de confessione pertractantem, et alios. Earum præcipuas, et juxta ordinem in præallegatis Glossæ versiculis observatum, juvabit breviter huc allegare.